



Vorh

als Nr. 209.

Fürsterl. v. 3 andere Schriften

P.<sup>VIII</sup>. 109.



DISPUTATIONUM THEOLOGI-  
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI  
ARTICULIS,

II.

De

DEO UNO ET TRINO.

Quam,

In inclita Academia VVittebergensi

*Auspicijs SS. Trinitatis*

*SUB PRÆSIDIO*

VVOLFGANGI FRANZII,

S. S. Theologiæ Doctoris & Pro-  
fessoris publici,

*ventilandam proponit*

M. GALLUS ZEÆMANNUS

Hornbacensis Palatinus.

*Ad diem 2. Octob. Anno Christi 1611,*

*In templo arcis, horis consuetis.*

VVITTEBERGAE  
TYPIS JOHANNIS GÖRMANNI.

*ANNO M. D. CXI.*

22

*NOBILISSIMO, STRENUO MUL.  
TO QVE RERVM VS PRAESTAN-  
TISSIMO VIRO,*

**Dn. GEORGIO VVISINGO**  
A LIECHTENEGG, SACRÆ CÆS.  
MAIEST. CONSILIARIO AM-  
PLISSIMO,

*Domino, Patrono & Mecænati suo  
plurimū colendo:*

*REVERENDIS ITEM, AMPLISSLIMIS  
ET EXCELLENTISSIMIS VIRIS,*

**Dn. LEONHARTO HUTTERO,**  
SS. THEOLOGIAE DOCTORI EMINEN-  
TISSIMO, ET IN INCLUTA ACADEMIA WI-  
TEBERGENSI PROFESSORI PRIMARIO, VENERAN-  
DÆQUE FACULTATIS THEOLOGICÆ SENIORI  
MERITISSIMO,

**E T**  
**Dn. FRIDERICO BALDUINO,**  
SS. THEOL. DOCTORI EXIMIO, ET PRO-  
FESSORI IBIDEM DEXTERIMO, ECCLESIAE.  
QUE PASTORI ET SUPERINTENDENTI  
VIGILANTISSIMO,

*Dominis Promotoribus & Praeceptoribus  
suis aeternū suspiciendis,*

*Disputationem hanc in certum gratissimi &  
submisæ officiosi animi symbolum*

*Offero  
M. GALLUS ZELEMAN.*

# DE DEO TRIUNO POSITIONES.

## I.



Xpedito principio Theologiæ cognoscendi , Scripturâ : succedit principium essendi , DEUS : cuius doctrinam aliquam , methodo consuetâ , tribus capitibus exhibere fert animus : quorum 1. Orthodoxam Ecclesiæ fidem proponat ; 2. Hæreticos detegat ; 3. Quæstiones quasdam enodet .

## Ε Ε Σ Ι Σ.

II. Prior Ecclesiarum nostrarum doctrina de DEO quinq; potissimum membris absolvi potest : 1. de quæstione , An sit Deus : 2 de definitione : 3. de unitate essentiæ divinæ : 4. de Trinitate personarum : 5. præcipue de singularum proprietate characteristica , Deitate , Personalitate , æternitate &c.

III. Etsi verò nemo est hominum , qui ignorat esse Deum : Quod sit Deus . tamen ut & magis confirmemur , & gloriam Dei contra profanos , sæpiuscule de Deo dubitantes , propter naturæ corruptionem , Diaboli conatus rerumq; confusionem , asseramus : dupliciter , Deum esse , demonstramus : tam ex naturâ , quam ex Scripturâ .

IV. Hinc duplex Dei notitia . Una naturalis : eaq; vel Connata , mentibusq; hominum inscripta habitualiter , ut : Deum esse , mundi curam gerere , bonis gaudere , mala punire . Rom. 1, 19. τὸ γνῶσθαι τὴς θεᾶς manifestum in ipsis : c. 2, 13. Opus legis scriptum in cordibus eorum : vel Acquisita ex contemplatione universi Rom. 1, 20.

A. 2. Act.

*Act. 14, 15, 17: 17, 27; quod imprimis pertinet animæ præstantia Psal. 94, 8, 9.*

V. Sed quia naturalis hæc notitia, vel nulla, vel imperfecta, vel languida, ignorans Christum & cultus internos, horrendisq; dubitationibus permixta: accedit altera, quoad salutem sufficiens, quātumvis etiam imperfecta *Exod. 33, 20, 23 1 Cor. 13, 9, 12, Revelata* nim. in Verbo DEI: quod quinq; modis, Deum esse, perhibet; 1. testimonij innumeris: 2. miraculis stupendis, cōservatione Nohæ, Jacobi, eductione Israēlitarū ex A Egypto, exhibitione Messiae: 3. visionib; *Gen. 3, 8. Exod. 24, 10, II: 33, II: 4. Somniis Gen. 20, 3: 28, 13: 31, 24: 5.. Vaticiniorum certitudine Esa. 41, 22: 43, 9.*

*Quid sit Deus.* hæc qualiscunq; descriptio: Deus est essentia spiritualis, æterna, justa, misericors, potentia, sapientia & majestatis infinitæ; creator & conservator omnium; unus essentiæ, trinus personis, Pater, Filius & S. Sanctus; colligens & sanctificans Ecclesiam. Ubi & essentia cum idiomatis, & voluntas Dei consideranda.

VII. Generis loco ponitur *Essentia*, non in communicatione cum creaturis, sed quia Deus est Ens entium, solum & perfectissimum, à quo omnes res suam habent essentiam: unde & Jehova dicitur.

*Idiomata diuinæ.* IX. Differentiarum vicem explent *idiomata* seu attributa (ratione notionis & enunciationis, non in hæfisionis, sic dicta) partim essentialia, partim personalia.

IX. Attributa Dei *essentialia* in ipsa quidē essentiā diuinā ratiō quiddā sunt, deq; cā substantialiter prædicantur: quatenus autē vel intra Deitatis essentiam permanentia, vel foras etiam progredientia considerantur: distingui possunt in *intrinseca* seu à *épyn̄ta*, & *épyn̄ta*, si ita nominare liceat,

X. Illa

X. Illa nullis peculiaribus operationibus actu secundo ad extra pregriduntur, neq; ulli creature ita sunt communicabilia, ut inde denominetur, nisi medianibus reliquis: qualia sunt AEternitas Deut.32,40. Psal.9,8: 90,3. 1.Tim.6,16: Spiritualitas Joh. 4, 24. 2. Cor.3,17: Infinitus Esa.40,12,15,17. Sap. 11,23.

XI. Hæc etiam in creaturis c̄repyñlñw̄ s̄e exerunt, & Carne Christi immediate prædicantur: quâ ratione liberrimâ Dei voluntate dependent, nec pariter agū ut Justitia Ps.119,137. Esdr.9,15. Job.8,3:39,35. Rom.3,4: Misericordia Exod.34,6. Deut.4,31:7,9. Psal. 25,10:33,5:86,103,8. Thren.3,22. Omnipotentia Gen.17,1. Exod.6,3. Iob.2,15,2. Par.20,6. Jer.32,17,26. Luc.1,37: Omnis scientia 1. Reg.8,39,1. Par.29,9. Iob.28,24. Esa.40,13,28. 1.Tim.1,17: Omnipræsentia Ps.139,7 & seq Ier.23,23, 24. Act. 17, 27,28. Iob.11,8,9.

XII. Voluntas Dei in se cōsiderata non nisi una est numero, prout essentia: relata verò ad creature, duplice respectu sortitur, unū simplicem, alterū ad ordinem: ut Alia voluntas sit Antecedens, quæ ex æquo se habet erga omnes omnino homines, nō tamē absolutè, sed ordinatè, ita ut Deus omnium salutem serio desideret & vellet; quippe quos omnes dilexit, per Filium redemit, ad regnum suum vocat, mediaq; salutis offert Ezech.33,11. Rō. 11,32. 1.Tim.2,4. 1.Ioh.2,1: Alia Consequens & decretoria, quæ relatè se habet ad ordinem de salute hominum diuinus constitutum, quâ credentes salvantur, infideles damnantur Ioh. 3,16, 18 Mari. 16,10.

XIII. Neq; v. Antecedenti Voluntas Consequens cōtradictoriè repugnat, sed potius subordinatur. Illa non definit, quid Deus ab hominib. fieri velit; hæc, quid homines actu faciāt; illa cōsiderat media salutis ex parte Dei ordinata; hæc verò actu vel acceptata, vel spreta.

*Quod sit Deus* XIV. Ceterum unus est Deus, non compositione, nec unus essentia. genere, nec specie, nec consensu tantum, sed unitate numeri, naturae & essentiae: theologicè tamen voce Essentia intellexit. Vulgo enim *Essentia* quiddam est universale, imaginarium & communicabile, ut humanitas, *æḡseliōt̄ns*. In divinis autem revera existit & communicabilis est, tribus personis communis, totaq; in singulis.

XV. Hanc unitatem non modò accuratores Philosophi agnoscunt: sed & Scriptura multipliciter ostendit. 1. Prophetica Deut. 6, 4. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Jehova unus est.* Mal. 2, 10. Nunquid non Deus unus creavit nos? Deut. 32, 39. Videte, quod ego sum solus, & non est Deus mecum. 2. Reg. 19, 15, 19. & Esa. 37, 16, 20: *Domine, tu es Deus solus inter regna.* Psal. 96, 10. *Tu es solus Deus.* 2. Reg. 5, 15. *Verescio, quod non sit alius Deus.* Esa. 45, 5. *Ego Dominus, & non est alius: extra me non est Deus.* 2. Evangelica Matth. 19, 17. *Nullus est bonus, nisi unus Deus.* Ioh. 17, 3. *cognoscant te Solum verum Deum.* 3. Apostolica 1. Cor. 8, 6. *Nullus est Deus alius, nisi unus.* Eph. 4, 6. *Vnus Deus & Pater omnium.* Rom. 16, 27. *Solis sapienti Deo.*

*Quod Deus sit* XVI. Neq; verò solam unitatem Deitatis docet Scriptura: sed etiam Trinitatem personarū. Ubi Personam, ex mente partim Boëtij, partim Scholasticorum, partim nostrantium, definimus substantiam individuam, intelligentē, incommunicabiliē, quæ nec alterius pars est, nec in vel ab altero sustentatur, nec ad aliud dependentiam habet.

XVII. Et vulgo quidem Personæ differunt substantiā numericā, tempore, voluntate, potentia & operatione: in personis autem Trinitatis eadem est essentia coeternitas, una voluntas, potentia & operatio, realis nihilominus quædam distinctio, sed modo incomprehensibili.

18. His

XII X. His præcognitis, varia pro SS. Trinitate argumentorum genera adduci possent, ex plurali Elohim, extrina nominis repetitione, ex sermone Iehovæ, ex mentione duarum personarum Gen. 48, 15, 16. Jer. 23, 5, 6. &c. Quia verò alibi fusè tractata, & ex sequentibus dilucidius patescent; producimus rationes maximè explicitas 1. ex patefactione 2. ex testimoijis.

XI X. Patefactionum SS. Trinitatis illustrissima est distincta trium personarum in Baptismo Christi revelatio Matth. 3, 16, 17.

XX. Testimonia præcipua sunt 1. Esa. 63, 7, 8, 9, 10: ubi diserta fit mentio 1. Iehovæ, Patris, cuius miserationes celebrantur; 2. Λόγος, Angelus facie ejus, qui Israëlitas ex Aegypto duxit; 3. Spiritus S. quem irritarunt. 2. Institutio nostri Baptismi. Matth. 28, 19. 3. Assertio Servatoris Iohann. 14, 16, 17. Ego rogabo Patrem, & alium paratum dabit vobis, Spiritum veritatis. 4. Pauli 2. Cor. 13, 13. Gratia Domini Iesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus S. sit cum omnibus vobis. Gal. 4, 6. emisit Deus Spiritum Filij sui Eph. 2, 18. Per Christum habemus aditum in uno Spiritu ad Patrem. 5. Iohannis. Tres sunt, qui testantur in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt. 1. Ioh. 5, 7: qui locus perperam à Latinis omittitur: cùm, teste Hieronymo, in Græco extet, & id ipsum requirat partim oppositio testimonij in terra, v. 8. partim exclusio testimonij humani v. 9. Neque unquā probaverint Adversarij, fraudulentem eum ab Athanasianis suppositum.

X XI. Differunt Personæ Trinitatis, non essentialiter, <sup>Differentiae</sup> nec solâ ratione: sed τριπλασίαι seu proprietati- <sup>Personarum;</sup> bus characteristicis, quæ duplices sunt 1. internæ & incommunicabiles, Generare Filium, à Patre generari, & à Patre

à Patre & Filio procedere. 2. externe & communicabiles, *creatio, redemptio & sanctificatio*: ubi quidem omnes tres Personæ, extra suam essentiam in creaturis, propter indivisim essentiæ unitatem, simul & temel operantur; interim tamen singulis juxta distinctos suos characteres distinctæ actiones tribuuntur, quæ distinctionem dunt taxat faciunt ordinis inter personas, non separationem. Sic Filius redemit mundum, sed missus à Patre, conceptus à Spiritu S.

XXII. Jam quia in specie de Patris Deitate & aeternitate nil disputatur: descendimus ad alteram personam Trinitatis, quæ est *Filius Dei*; cuius aeterna generatio, *quæcumque* cum Patre & *co-essens* ante nativitatem ex Maria firmius demonstranda.

XXIII. Personalis ejus proprietas est, quod ab aeterno à Patre genitus est: unde *unigenitus Patris* dicitur *Ioh.1,14:3,5*. Hinc *Psal.2:7: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: ubi *i.* vox *Hodiè* significat aeternitatem, velut etiam in humanis *Matt.6,11. Hebr.3,7,12,13.* & in vigore meriti Christi *Heb.13,8: 2. Sermo* est, non de Davide, qui non possedit omnes gentes, neque illæ in eū sperârunt: sed de Christo *Hebr.1,5:5,5. Act.4,25,26:13,33.* Hinc etiam *Mich.5,2. Egressiones ejus ab initio, & à diebus seculi*. Antiquitatem enim inibi & claritatem familiæ Davidicæ describi, parili exemplo demonstrari nequit. Neq; etiam origo familiæ Christi dicitur à Davide, sed ab Abrahamo, imò ab ipso Adamo *Matt.1.* Aeterna igitur ejus nativitas vel egressio à Patre, diversa à Bethleemiticâ, innuitur. Hic est *Filius ille Dei*, cuius nomē ignoramus: non *Moses Prov.30,4.*

Deitas Christi. XXIV. *Consubstantialitas ejus cum Patre probatur*  
*Primum ex Nominibus soli Deo proprijs: qualia sunt*

*Ieho-*

Iehova. Dictum *Esa.* 6, 1 de Domino sedente super solium loquitur de Christo *Ioh.* 12, 41. Sic Judæi tentarunt in deserto Jehovā *Exod.* 16, 7: 17, 2: atquit tentarunt Christum 1. *Cor.* 10, 9. Quid multis? *Ier.* 23, 6 expressē Iehova justitia nostra nuncupatur. Locum enim hunc de Christo accipi docet contextus, & *Zach.* 9, 9. & *Ier.* 33, 16, ubi tamen enallage generis. Jam vocem Iehova solidi Deo competere paret ex *Exod.* 3, 15. Iehova, Deus patrum vestrorum, hoc nomen mihi est in aeternum. *Esa.* 42, 8. Ego Iehova, hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo. *Amos.* 5, 8. qui vocat aquas maris Iehova nomen eius. Quod verò altari etiam & arcæ foederis tribuitur *Exod.* 17, 15. *Iud.* 6, 24. *Psal.* 24, 8: indirecta sit prædicatio, & additæ circumstantiæ infinitum discrimen faciunt.

XXV. 2. Deus. *Ioh.* 1, 1. Verbum erat Deus. *Act.* 20, 28. Deus proprio sanguine Ecclesiam acquisivit. *Esa.* 7, 14. & *Matt.* 1, 23. Emmanuel, nobiscum Deus *Joh.* 20, 28. Dominus meus & Deus meus.

XXVI. 3. Angelus (non nisi increatus) *Esa.* 63, 9. Angelus faciei Ievoha saluos fecit & portavit Iudeos cunctis diebus seculi, sc. sub eductione ex Aegypto. Istinc colligo: Iehova, qui præcessit castra Judæorū, legem tulit, cui obmurmurarunt & puniti sunt *Exod.* 13, 21, 22: 19: 20, 1: 32, 9, 10, 33. verus est Deus: quia vidit afflictionē populi, exaudiuit gemitus, liberavit eos, & Deus est Abraham, Isaac & Jacob *Exod.* 3, 2, 4, 6, 7, 8: 9, 14, 15, 16. At Angelo isthac omnia tribuuntur *Exod.* 14, 19, 20: 23, 20, 21, 22, 11. Ergo Angelus iste increatus est verusq; Deus.

XXVII. Idem evidentissimè colligitur ex *Gen.* 48, 15, 16: ubi Filius Dei salutatur Angelus, qui Iacobum cripuit de cunctis mabis, & à quo petitur benedictio binorum

rum Josephi filiorum, ut & supereos int̄ocetur nomen eius, & crescant in multitudinem super terram. Id quod de Angelo increato intelligendum esse, tam mala averfa, quam bona petita evincunt solidissimè.

XXIX. Mala Jacobi, à quibus ab Angelo liberatus est, sunt insidiæ vita & ab Elavo (quem peregrinatio, hospitium, conjugium & fortuna latere non poterant) stricte Gen. 27, 41: Paupertas à Labano intentata Gen. 31, 1, 3, 7, 8, 9, 12, 16, 42: 32, 10: 33, 11: persecutio ejusdem virulentissima, Gen. 31, 23, 24, 29, 42: vicinorum uilio cædis Sichemitica Gen. 35, 5.

XXIX. Bona, quæ petit, sunt 1. divina adoptio filiorū Iosephi inter reliqua tribus Israël, exclusis Levitis, in distributione terræ Chanaan: 2. fœcunditas perpetua. XXX. Hæc omnia tribuenda sunt Angelo Ose. 12, 4. increato, scalæ (quam ipse Christus ad te transfert Ioh. 1, 51.) præsidi, Deo Gen. 28, 13, 35, 1. Hic Angelis mandat nostri custodiam Psal. 91, 11, 12. Gen. 24, 6, 7, 40. Tob. 5, 29: pauperem reddit & ditat 1. Sam. 2, 7. 2. Par. 3, 27, 28, 29. Tob. 1, 3, 10: 42, 11, 12. recepit filios Josephi in numerum ceterarum tribuum: fœcundat steriles Gen. 17, 16, & seq: 18, 10, 14: 21, 1 & seqq: 25, 21: 29, 17, 31: 30, 12, 17, 22. Iud. 12, 2, 3, 1. Sam. 1, 20: 2, 21. Ruth. 4, 13, 1. Par. 26, 5: 29, 5 & 6.

XXXI. Deinde Filij divinitas patet ex attributis divinis  
1. Solus Deus primus & novissimus Esa. 41, 4: 44, 6: 48, 12. Christus est primus & novissimus Apoc. 1, 1, 8, 11, 13, 17: Sanctus Dominus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. Apoc. 4, 8. E. 2. Deus omnia condidit Jer. 10, 11. Christus omnia condidit Iohan. 1, 3, 10. Col. 1, 16. ubi si de redēptione ageretur, omnes creature & Diaboli essent redempti. Heb. 1, 2: & Heb. 1, 10: ubi sicut aboliti, ita & creatio mundi ei competit. E. 3. Christus

stus vivificat, non dñm p̄cei en̄ idia Act. 3, 12. sed quos vult  
Joh. 5, 21. 4. In eundem credendum Iohan. 14, 1. 5. Idem  
adorandus Phil. 2, 9, 10. Ioh. 5, 23. 6. Quæcunq; habet Pa-  
ter, Christi sunt Ioh. 15, 15, 16: 17 & 10.

XXXII. AEternitatem & existentiam Filij Deian- Subsistens  
te nativitatem ex Maria probant. I Illæ phrases, quæ Filij Dei ante  
de ipsius Patris æternitate usurpantur Psal. 90, 3: 10, 2,  
25, 28. Dan. 4, 32: quòd Jehova eū possederit à principio viæ  
sua &c. Prov. 8, 22 & seqq. 1. Cor. 1, 24: quòd petit se glori-  
ficarię gloriā, quam habuerit, antequam mundus fieret.  
Iohan. 17, 5.

XXXIII. 2. Dictum Ioh. 1, 1, 2. In principio erat Verbum &c.  
Ubi ut vox ἡ̄γετο̄ pro initio prædicationis (velut Marc. 1,  
1. Ioh. 15, 27. Act. 11, 15.) sumatur, quis suaserit? Absolutè  
ponitur (sicut Ier. 33, 7. 2. Sam. 5, 6.) ideoq; principium  
creationis notat.

XXXIV. 3. Testimonia de Incarnatione. Ioh. 1, 14. Verbum  
caro factum est & habitavit in nobis. 1. Tim. 3, 16. Deus ma-  
nifestatus est in carne. Heb. 2, 14 & seqq. dicitur Messias,  
more puerorum, participasse carne & sanguine, ut per mortē  
aboleret diabolum: nec Angelos, sed semen Abraham (na-  
turam humanam) assumere (pro assumptisse, per ena-  
logen) unde similis factus sit fratribus &c. 1. Ioh. 4, 2, 3: qui  
confiteretur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est.

XXXV. 4. Cum primis huc faciunt duo loci, qui Chri-  
stum in deserto & ante Abrahānum fuisse testantur.  
Prior est 1. Cor. 10, 9. Ne tentemus Christum, sicut & quidam  
eorum tentaverunt sc. Christum. Subaudiendam enim  
esse hanc vocem, liquido cōstat ex contextu, quo sem-  
per eadem peccati species repetitur.

XXXVI. Posterior Iohan. 8, 58. Antequam Abrahām  
ficeret, ego sum. Quòd vero excipiunt, Abram primum

B. 2 post  
adib. 16

post glorificationem Christi factum esse Abraham seu Patrem multarum gentium: rancidum est effugium: quia statim à Circumcisione factus est Abraham. Id quod docet 1. Gen. 17, 5. nec vocabitur ultra nomen tuum Abram: 2. exempla alienigenarum circumcisorum Gen. 17, 12. 3. Testimonium Rom. 4, II, 12: Abram factum esse Patrem credentium & in præputio & circumcisio: 4. Exempla conversorum Ethnicorum Matth.

23, 15. I. Reg. 8, 41, 42, 43. Exod. 12, 31. Ios. 9, Ion. 1.

XXXVII. Restat de Spiritu S. personâ realiter à Patre & Filio distinctâ, processione ab utroq; & essentiâ di-  
vinâ agamus.

XXXIX. Personalem subsistentiam Spiritu S. mani-  
festè arguunt 1. Operationes, personis propriæ; 2. Appa-  
ritio in Baptismo Christi Matth. 3, 15. Ioh. 1, 32, 33: & in  
die Pentecostes Act. 2, 3, 3. Attributa personæ propria,  
Act. 15, 28. visum est Spiritui S. & nebul. 1 Cor. 12, 11. distri-  
buit singulis, sicut vult: & Esa. 63, 11 irritatur. 4. Variatio  
generis Iohan. 15, 26, ubi τῷ πνεύματι vox ἐκεῖνος tribui-  
tur. 5. Manifestè à Patre & Filio discernitur. Iohan. 14,  
16. 6. Cum utroque conjungitur Esa. 63, 11. 2. Cor. 13, 13.  
1. Iohan. 5, 7.

XXXIX. Cum primis verò 7. in eundem spiritum S.  
ceu personam, sicut in nomen Patris & Filii, baptiza-  
mur Matth 28, 19. Absurdum autem esset & inani-  
tautolegica, baptizari in nomine Patris, Filii & virtutis  
divinae, sive Patris, sive utriusque. Quin obstat phrasis  
*In nomen Spiritus S. baptizari*, hoc est, ex autoritate,  
promissione, in fiduciam & auxilium ejus Iohan. 6, 43.  
1. Cor. 1, 13, 15. Act. 2, 38: 3, 6: 4, 10: 19, 5. Quod autem legun-  
tur in Mosen & baptisma Johannis baptizati I. Cor. 10,  
2. Act. 19, 3: de doctrina & ministerio accipiendum est,  
non mandato vel fiduciâ.

XL. Cha..

Personalitas  
Spiritus S.

X L. Character personalis, quo Spiritus S. à Patre & <sup>Processio Spiriti</sup>  
Filio discernitur, est, quod ab utroq; procedit: tam <sup>tus S. à Patre</sup>  
<sup>& Filio.</sup>  
Patre Ioh. 15, 26, unde Spiritus Dei, Patris, orisque ejus  
dicitur Job. 33, 4. Psal. 33, 6. Matth. 10, 20. Rom. 8, 9, 11, 14. I.  
Cor. 2, 10, 11, 14: quam à Filio; quod sic adstruimus: 1. Quâ  
ratione Spiritus S. dicitur Spiritus Dei Patris: eadem  
& Spiritus Christi, oris & labiorum ejus Rom. 8, 9. 2. Thess. 2, 8.  
Esa. 11, 4. Sed ibi sic dicitur, non tam ob missionem Ioh.  
14, 26; quam ex processione æterna Ioh. 15, 26: Ergo &  
hic: præsertim cùm & tunc Spiritus Filij dicatur, quam  
do à Patre mittitur Gal. 4, 6; & Filius non nisi Patris Fi-  
lius appelletur, quia à solo Patre gignitur.

X L I. 2. Quicquid Spiritus S. accipit, ab æterno per  
processionem (ut Filius per generationem æternam)  
accipit. At omnia accipit à Christo Ioh. 16, 13, 14, 15. E.  
per processionem æternam: 3. Quicquid pater habet  
(excepta ~~ayemnoꝝ~~) & Christus habet Ioh. 16, 15: 16, 10. At  
à Patre procedit Spiritus S. Ergo & à Filio. 4. Hiulca-  
fieret SS. Trinitatis unitas: nisi Spiritus S. ad Filium  
etiam per processionem referretur.

X L II. Οὐοστός: deniq; Patri & Filio divinitas Spiri- Οὐοστία  
tus S. liquet ex nominibus soli Deo proprijs: ut sunt Ieho- Spiritus S.  
va, Deus & Dominus. 1. Solus Jehova duxit Israëlitas  
Deut. 32, 12. At Spiritus Domini duxit eos Esa. 63, 14. E.  
2. Jehova loquitur in Sanctis Exod. 4, 11, 12. 2. Sam. 23, 3.  
Psal. 85, 9. Luc. 1, 70. Heb. 1, 1. 2. Tim. 3, 16. Spiritus Sanctus  
loquitur in Sanctis 2. Sam. 23, 2. Matth. 10, 20. Act. 1, 16.  
1. Pet. 1, 11, 12. 2. Pet. 1, 21. Ergo. 3. Fideles sunt templa Dei  
vivi 1. Cor. 3, 16, 17. 2. Cor. 6, 16. Fideles sunt templa Spiri-  
tus Sancti 1. Cor. 3, 16: 6, 19. Ergo. 4. Ananias mentitus  
est, non hominibus, sed Deo Act. 5, 1. at mentitus est Spiri-  
tui 8. v. 3. Ergo. 5. Unus est Dominus 1. Cor. 8, 6. Eph. 4, 5.  
S. Sanctus est Dominus E. B. 3. 43. Idem.

XLIII. Idem colligere licet ex creatione *Psal. 33, 6; 104,  
30. Matth. 1, 22. Luc. 1, 35.* & attributis Dei essentialibus: qua-  
lia Infinitas *Psalm. 139, 7.* Omniscentia *Esa. 40, 13. 1. Cor. 2,  
10.* Aeternitas *Heb. 9, 14.* Majestas divina ex atrocitate  
peccati in Spiritum Sanctum *Matth. 12, 31, 32.* Honor  
adorationis *Matth. 28, 19, 2. Cor. 13, 13.*

A N T I Θ E S I S.

XLIV. Omissis Epicurais, Gentilibus, Judaeis &  
Mahometistis, solos haereticos perstringemus, qui par-  
tim unum Deum, partim SS. Trinitatem, partim in  
specie λογος & Spiritus S. personam, opusciav & proprie-  
tates personales blasphemè oppugnarunt.

XLV. Hostes unitatis essentiæ & divinæ fuerunt 1. Va-  
lentiniani, singulis operibus Dei peculiares Deos, sola  
voluntate unos, attribuentes: 2. Marcionite, alium Ve-  
teris severum, alium N. Testamenti misericordem Des-  
um excogitantes. 3. Manichæi, duos contrarios coater-  
nos commenti: quorum illi ex *Deut. 4, 35*; isti ex *Esa. 44,  
4: hi ex Esa. 45, 6, 7.* refutandi. Quibus non absimiles  
sunt Pontificij. Sanctos, ceu Deos, invocando.

XLVI. Hostes Trinitatis sunt 1. Praxeani, Sabelliani &  
Noëtiani, qui tria tantum nomina in unâ Deitate con-  
cesserunt: cum tamen Deus Filium suum, & Christus ali-  
um paracletum mittere legatur *Gal. 4, 4, 6. Ioh. 14, 16.* 2. Ari-  
ani, subsistentiam λογος & Spiritus S. ante creationem  
largiti, negat aeternitate naturâq; divina. 3. Photiniani  
unam singentes Personam.

XLVII. Quorum ratio princeps *Ioh. 17, 3.* cognoscant  
te solum Deum verum. R. extinto: Cum divinitas opponitur  
idolis vel creaturis, denominatio unius persona reliquias non  
excludit,

Hostes Dei  
Trinitatis.

excludit sed tantum creaturas, v.g. cùm dicitur, neminem  
nō nō sse Patrem, nisi Filium, & contra Matih. 11, 27, non ex-  
cluditur Spiritus S. de quo 1. Cor. 2, 11, quæ Dei sunt, nemo  
nō nō sse Spiritus Dei: & quando Apoc. 19, 12. Filius nō nō  
habere scribitur, quod nō nō nō sse, nisi ipse; tñx ex-  
cluduntur creaturæ. Sic neq; dicto hoc Joh. 17. Chri-  
stus excluditur, qui verus Deus salutatur 1. Joh. 5, 20. Vel  
Pater hoc loco essentialiter ponitur, ut Eph. 4, 6. Mal. 2, 10,  
& opponitur Dæmonijs, quibus Messiaæ miracula ad-  
scribebant: non Filio, qui in Patre, cumq; eo unum est  
Joh. 10, 30: 17, 21, 22, 23.

X L I I X. Λογομάχοι triples sunt. Primo ἀντίστοιχοι κειμονάχοι.  
Verbum esse in Patre sine substantia, ut Ebion, Cerinthus  
& Samosatenus, quibus Christus communis erat homo,  
Josephi Filius, in quem ad ultum Messias descenderit.  
Cuius fursuris est Photinus cum suis recentioribus,  
Christum in Maria primùm cœpisse disputantibus.

X L I X. Deinde ἐπέρσοι, Ariani, qui concessere Ver-  
bum ante incarnationem, & personam ante creatio-  
nem Angelis longè præstantiorem, Deum autem, non  
verum, sed nuncupativum: abusi loco Joh. 10, 34. Resp.  
1. Christus ibi non ratiocinatur ex simili, sed διὰ τὴν ἡτ-  
τον; Si Lex homines, ob muneris præstantiam, recte vo-  
cat Deos. Exod. 4, 16: 7, 1: 22, 8, 9, 28. Psal. 82, 6: multò magis  
me, quem Pater sanctificavit, propter divina opera, Fi-  
lium Dei voco: id quod de Iehova accepisse etiam Iu-  
dæos, conatus hostilis testatur v. 29. 2. Vocatur ali-  
bi Christus is, qui est super omnia Deus benedictus insecur-  
la Rom. 9, 5: Deus per quem omnia facta Iohan. 1, 1, 3: verus  
Deus & vita æterna 1. Joh. 5, 20; ubi relativum Hic, & men-  
tio vita æternæ à Christo partæ evincit, de Patre non  
agi.

50. Utr.

L. Urgent locum Col. 1,15. Resp. Primogenitura illa vel respicit solum ordinem temporis, non creaturarum; ut omnibus creaturis prior sit, quippe aeternus, non inter creaturas primus: vel metaphorice sumitur pro dominio, ut Psal. 89,28.

L.I. Tertio ανόησι, Aetiani & Eunomiani: Filium, licet substantiam sit aequalis Patri, potentiam tamen & operationem dissimilem esse. Quorum elenchus petatur ex Ioh. 5,18,19,21,26. 16,15:17, 10. Phil. 2,6. Quod vero instant, Patrem dici majorem Christo Ioh. 14,28: vel de humanitate; vel de discrimine mittentis & missi, non de essentiā sonat.

*Πνευματομάχοι*  
L.II. Πνευματομάχοι quadruplices sunt potissimum. Primo ανόησε Sabelliani, Samosateniani & Photiniani, qui Spiritum S. Patris virtutem comminiscuntur. Quod referendi Macedoniani, Spiritum Sanctum fingentes motus in fidelibus creatos: quibus discernenda erat persona acu author, ab effectibus i Cor. 12,3 & seq.

L.III. Deinde επέρσι, negantes Spiritum Sanctum esse Deum, concessa natura præstantissimam.

L.IV. Tertio Anabaptistæ, negantes aeternitatem ejus, ut qui cœperit post glorificationem Christi. At etiam in V. Testamento Spiritu S. induiti sunt Sancti Num. 11, 16,17,24. Deut. 34,9. 2. Reg. 2 9,10,15. Iud. 3,9:13,25. 1. Sam. 16,13 2. Par. 20,14. idem à Saule recedit 1. Sam 16,14. pijsq; promittitur Ezech. 36,26,27. Quando vero Ioh. 7,39. nondum fuisse scribitur: non de persona agitur, quæ fuit ante Ioh. 13,2,33. 3,6: 20,22; sed de donis, non communibus i Cor. 12, 3. Math. 16,16; sed extraordinarijs Act. 2,3.

L.V. Quartò, Graci recentiores, qui processionem Spiritus S. à Filio constanter negant: urgentes locum Ioh. 15,26, ubi à Patre dicitur procedere. Resp. i. non additur

ture exclusiva, 2. Pater & Filius unius sunt essentiae, &  
uterque origine personali Spiritu S. prior: 3. Missio e-  
jus, à Christo ibidem recepta, æternam præsupponit  
processionem, ceu jus & causam; sicut Filius à solo  
Patre mittitur, quia ab eo tantum essentiam divinam  
obtinet. 4. Filius omnia sua ad Patrem, ceu fontem  
Deitatis, refert.

## QUÆSTIONES.

LVI. Q. I. *An notitia de Deo naturaliter nobis insita,*  
*an verò anima sit instar rasæ tabulæ?* Aff. prius. Notitia  
enim Dei, quæ manifesta est in ipsis (gentibus) quâque  
novere jus Dei, & naturâ faciunt, quæ Legis sunt, esten-  
dentes opus legis scriptum esse in cordibus suis: verè cōnata  
est, nec merè potentialis. Tales sunt notitiae naturales  
*Rom. 1, 19, 32: 2, 14, 15. E.*

LVII. Q. II. *An notitia Dei ex creaturis hausta sit vera*  
*Dei notitia?* Aff. Quia non modò veræ patefactioni di-  
vinæ in creaturis & operibus respondet: verùm etiam  
apprehensioni in conscientia hominis consentit: unde  
Gentes veritatem seu γνῶσην Dei in injustitia detinuisse  
perhibentur *Rom. 1, 18, 19.* Quatenus verò gratiosa Dci  
inhabitatione, assensu firmo & πεπάχει destituitur, mu-  
tila insuper est, & falsa adduntur, veris corruptis: ve-  
ræ & salutaris Dei cognitionis nomen haud meretur:  
quod tamen accidentis est.

LIX. Quæst. III. *An Ethnici notitia Dei natura-*  
*li sint salvati?* Sic sentit Andradius l.3. Orth. expos. p.292,  
Erasmus præf. in Tusc. Zwinglius expos. fid. Christ. Gualthe-  
rus part. 2. Apol. p.53. Discere verò & rectè nobiscum ne-

C

gat

gat Augustinus l. i. ad Bonif. cap. 21. & l. 4. contra Iul. cap. 3:  
quia homines solis notitijs naturalib. instructi ignorat  
Deum triunum, Christum & Evangelium, habent men-  
tem vanam & obtenebratam, sapientiam Deo inimi-  
cam & reprobatam Ioh. 1, 18. Matth. 16, 17. Rom. 16, 25, 26.  
Eph. 3, 17, 18. Rom. 8, 7. 1 Cor. 1, 19, 20. Verus autem usus lu-  
minis naturae erat 1. externa disciplina: 2. testimoni-  
um de Deo querendo Act. 17, 27. 3. ut gentes, spacio  
contra conscientiam Deo & Ecclesiae in illustri semper  
loco constitutâ, inexcusabiles redderentur Rom. 1, 20.

**LIX. Q. IV.** An Calviniani sincere credant Omnipotenti-  
am Dei? Resp. Candide cum B. Lutherotom. 3. Ien. f. 353  
negant Orthodoxi. Homines etenim isti fareri nolunt,  
Deum omni suâ potentia efficere posse, ut corpus u-  
num sit in pluribus locis simul. Pet. Martyr. Dialog.  
Orth p. 6. Beza quest. & resp. f. 658. Ioh. Piscator vol. I p. 77.  
Potentiam Dei fabulantur pati restrictionem, exce-  
ptionem & correctionem, Beza vol. I f. 299. Piscator.  
ib. Contra manifesta dicta Gen. 18, 14. Luc. 1, 37.  
Eph. 3. ult. Quæ verò inferunt de contrariis naturae  
divinæ, non sunt Omni-sed Impotentiae. Heb. 6, 18. Tit.  
1, 2. 1. Tim. 6, 16.

**LX. Q. V.** An Misericordia condonans peccata, & Iustitia  
Dei vindicatrix essentiales sint proprietates Dei, vel con-  
tingentia voluntatis divinae effecta? Resp. Contra Photi-  
nianos I. De Misericordia, distinguendo inter actum e-  
ius primum & secundum: ille simpliciter Deo essentia-  
lis, adeò, ut Scriptura ipsi viscera misericordiae tribuat  
Luc. 1, 78; hic verò à voluntate divina dependet. 2. De  
iustitia, ut est principium agens, negando posterius: quia  
norma

norma Justitiae. Lex scil. est immutabilis. In genere  
1. Misericordia & Justitia dependet à causa immuta-  
bili, unde dicitur æterna: E. omnem respuit contin-  
gentiam. 2. Nulla datur affectio ab essentia Dei, qui o-  
mnis est mutationis expers, distincta: E. nec contin-  
gentia.

*QUESTIONES THEOLOGICAE*  
**LXI.** *Quæst. VI. An Filius Dei à seipso habeat essentia-  
m divinam, neq; hæc admittat communicationem?* Ait  
Calvinus, Pareus l. 1. Orth. Calv. cult. Vrsinus Catech. p. 181.  
Keckerman. syst. Theol. p. 62-64. Nos distinguimus inter  
essentiam Deitatis absolutam & relata: illa non ge-  
nerat, aliás aut idem seipsum gigneret, aut Deus mul-  
tiplicaretur; hæc verò, essentia relata Parris seu perso-  
na Patris (idem de processione Spiritus S. esto judici-  
um) generat essentiam limitatam in Filio, sicut æterna  
Dei sapientia, quæ realiter ab essentiâ non differt, ge-  
nita perhibetur Propt. 8, 24, 25.


**LXII.** *Quæst. VII. Cur plura testimonia Deitatis Filii  
quàm Spiritus Sancti in Novo Testamento?* Resp. Quia  
exinanitio Christi fidem nostram offendere poterat,  
pluribus & illustrissimis testimonijis divinitas ejus cō-  
firmanda erat. S. Sanctus a menade non reliquit Dei-  
tatem suam absque testimonio, ut quotidiè de se, Patre  
& Filio testificetur 1. Ioh. 5. 6 & seqq.

**LXIII.** *Quæst. IIX. Cur Scriptura Novi Testamenti  
Christum frequentius Dominū, Patrem vero Deum appellat?*  
Resp. Non tam essentiam, quàm officium Christi me-  
diationis & redempcionis respicit, quo nos è captivi-

C 2 late

tate peccati, mortis, Diaboli & inferni emancipatos  
in libertatem Filiorum Dei vindicavit, & in suum pe-  
culium translulit, vere noster Dominus & ~~de~~<sup>ad</sup> salvator  
factus.

Benedicta sit Sancta Trinitas atq;  
indivisa unitas.



LXXXI. Quod VII. Cui superbae M. et. I. hyam  
C. p. d.  
R. d.  
d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d. d.  
C. 5

AB: 155067

ULB Halle  
003 019 209


3



56.



**FarbKarte #13**



DISPUTATIONUM THEOLOGI-  
CARUM DE PRÆCIPUIS FIDEI  
ARTICULIS,

II.

De

**DEO UNO ET TRINO.**  
*Quam,*

In inclita Academia VVittebergensi

*Auspicijs SS. Trinitatis*  
*Sub PRÆSIDIO*

**VVOLFGANGI FRANZII,**  
S. S. Theologiæ Doctoris & Pro-  
fessoris publici,

*ventilandam proponit*

**M. GALLUS ZEÆMANNUS**  
Hornbacensis Palatinus.

*Add diem 2. Octob. Anno Christi 1611,  
In templo arcis, horis consuetis.*

**VVITTEBERGAE**  
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.  
ANNO M. D. CXI.

